

213.

Disputatio VIII.

289.

DE V S V F R V C T V, V S V, H A B I T A-
tione, aliaqz in personam seruitute.

Q V A M,

Diuinâ fauente gratiâ,


P R A E S I D E

C L A R I S S I M O,
C O N S V L T I S S I M O Q V E
V I R O, D N. H E N R I C O B O C E-
R O, V T R I V S Q V E I V R I S D O C T O R E E T
Professore, in Illustrissima Tubingensi Academia celeber-
rimo, Domino suo Præceptore omni obseruantiae
cultu prosequendo,

O R D I N A R I I E X E R C I T I I C A V-
sa, hora locoqz consuetis,

Defendendam suscipiet


I O D O C V S . C O L B,
Spirensis.



T U B I N G A E,

Typis Georgij Gruppenbachij.

A N N O M. D. X C I X.



Disputatio VIII.

*DE VSUFRVCTV, VSV, HABITATIONE,
aliam in personam seruitute.*

THESES I.

DE seruitute in personam ut videamus, nunc sequitur. Est autem in personam seruitus, quæ à re aliena personæ debetur.

l. Melia ait. 14. §. fin. ff. de alim. vel cib. leg. l. 4. ff. de seruit. præd. rust. l. dominus. 57. ibi, ei seruiebat. ff. de Vsufr. l. 3. §. fin ff. quib. mod. Vsufr. amitt.

I I.

Hæc seruitus vel nominata est, vel innominata. Nominata, cuius iure ciuili certa appellatio prodita est; (a) qualis est, Vsusfructus, fructus, Vsus, habitatio, operæ seruorum. (b)

a) arg. l. 3. ff. de præscr. verb. (b) l. 1. ff. de seruit. l. 5. §. vlt. ff. Vsusfruct. quemad. cau. & t. t. ff. de vsu & habit. & tit. seq. & t. t. ff. de oper. seru.

I I I.

Vsusfructus est seruitus personæ, in vtendo fruendo re aliena consistens

l. 1. ff. de vsufr. & eod. t. inst. in pr. Fruendi autē verbo, quo separatur vsusfructus à quauis alia in personam seruitute, veniunt omnia emolumenta, quæcunq; ex re aliena, vel eius occasione percipiuntur, non modo naturalia. l. item si fundi. 9. ff. de vsufr. sed etiam ciuilia. l. vsufructu. 7 ff. d. t. Verbis, re Alienæ, distinguimus vsumfr. qui seruitus est, ab eo fructu, quirem nostrā comitatur, siue quem in reb. proprijs habemus. l. si ita. 126. §. 1. ff. de V. O. l. si cum. 21. §. si fundum ff. de except. rei iud. qualem vsumfructum interpretes vocant vsumfr. causalem; vsumfructum verò, qui personæ seruitus est, vsumfr. formalem; de qua vsufr. diuisione vide Coras. lib. 5. miscell. c. 3. Alciat. ad l. rectè dicimus. 25. ff. de V. S. Costal. ad l. 1. ff. de vsufr. & Duar. ad l. si ita stipulatus. 126. ff. de V. O. qui licet dicant eam ineptam, illius tamen defensionem suscepit Arius Pinellus ad l. 1. C. de bonis matern. part. 2. num. 9. & 10.

I I I I.

Est autem vsusfructus duplex; proprius vsusfructus, & quasi vsusfructus.

§. Constituitur. vers. vlt. ibi, quasi vsumfr. Institut. de vsufr. l. 2. ibi, vsufr.

s 2

ctus

C L A S S I S IIII.

ctus propriè effet. Item ibi, quasi vſusfructus. ff. de vſuſr. ear. rer. quæ vſu conf.

V.

Proprius vſusfructus est, ius vtendi fruendi re aliena, salua eius substantia. Vnde earum tantum rerum est, quæ vſu non consumuntur, quales sunt fundi, ædes, serui, iumenta, & id genus aliæ res.

l. 3. §. constitit. ff. de vſuſr. & §. constituitur autem. inst. d. t. Vide Hotom. lib. quæſt. illuſtr. q. 24. Donel. lib. 10. comment. c. 2. pag. 477. & seq. & Ioan. Goedd. ad d. l. rectè dicimus. 25. ff. de V. S.

VI.

Vestis quoq;, licet ea vſu atteratur, proprium tamen constituī posse vſumfructum affirmamus.

per text. in l. si vſusfruct. 9. §. si vestis. & l. 1. ibi, quod inde extabit. ff. vſusfruct. quemad. cau.

VII.

In hoc autem proprio vſusfructu spectamus tum eius constitutio- nem, tum quod in illo constituto vſusfructuarius ius habeat, tum etiam amissionem illius.

VIII.

Constitutio vſusfructus (quæ purè, aut ex die, (a) & ab initio pro parte indiuisa, vel diuisa (b) fieripotest:) vel obligatoria est, vel adquisitoria. (c)

a) l. 4. ff. de vſuſr. l. vſusfructus. 5. in pr. ff. d. t. (b) Est enim diuiduus vſusfr. l. 1. §. si vſusfructus. ff. ad L. Falcid. l. vſus pars. 19. ff. de vſu & habit. Vide Alciat. lib. 1. paradox. cap. 17. & Cuiac. ad l. stipulationes non diuiduntur. 72. ff. de V. O. Hotom. lib. quæſt. illuſtr. quæſt. 20. (c) l. 3. in pr. ff. eod. & §. sine testamento, Inst. eod.

IX.

Obligatoria vſusfructus constitutio est, qua quis ad rei cuiusdam vſumfructum alicui præstandum obligatur. Estq; conuentionalis, vel testamentaria.

§. vſusfructus. ibi, vſumfr. alicui legauerit. & §. sine testamento. Inst. de vſuſr. & l. 3. in pr. ff. eod. t.

X.

Conuentionalis vſusfructus constitutio est, cùm vel pacto, vel stipulatione, vel emtione venditione, vel donatione vſusfructus alicui promittitur.

d. l. 3. vers. & sine taſtamento. Inst. eod. tit.

XI.

Constitutio vſusfructus testamentaria est, qua testator testamen- to vel

291.

DISPUTATIO VIII.

3

eo vel codicillis vsumfructum alicui legat.

§. vsusfr. à proprietate. Inst. de vsusfr. l. 3. in pr. l. 6. l. 7. l. 9. l. arboribus. 12. §. natus. l. si quis. 20. & l. seq. cum similib. ff. de vsusfr. & t. t. ff. de vsusfr. leg.

XII.

Adquisitoria vsusfructus constitutio est, qua ipse vsusfructus alicui præstatur, & adquiritur: Eaq; fit vel vltima voluntate, vel inter viuos.

XIII.

Vltima voluntate, si quis suo testamento, vel Codicillis, vel donatione mortis causa, alicui vsumfructum rei propriæ, veluti proprij fundi, relinquit.

per l. 1. §. vlt. & l. seq. ff. de public. in rem act.

XIV.

Sed non incommode hoc loco quæritur, si vsusfructus domus alicui legetur adiecto onere, ne altius tollatur, vtrum dominij proprietas relicta censeatur, an verò saltēm vsusfructus? Posterius contra communem Dd. opinionem (a) nobis cum Pinelo (b) placet. (c)

(a) De qua Menoch. lib. 4. præsumt. part. 2. præf. 133. n. 2. (b) ad l. 1. C. de bon. mat. p. 3. n. 42. & seq. cui subscribit Fachin. lib. 5. controv. c. 43. (c) per l. Proclus 19. ff. de vsusfr. Vbi legati Verba de vsusfr. sunt concepta, proindeq; de vsusfr. exaudienda. per l. non aliter. ff. de leg. 3. Et iniunctum onus fructuario non arguere proprietatem, ostendit l. nisi. 16. ff. de vsusfr.

XV.

Idem quoq; dicimus de legato prædij vsufructu hoc modo, vt ne illud præmium alienetur: (a) licet hic multi proprietatem prædij legatam velint. (b)

(a) Per fundamenta enunciati præcedentis. (b) quos refert Menoch. d. præsumt. 133. n. 3.

XVI.

Prædij tamen vsufructu cum facultate illud alienandi reliquo, non vsumfructum tantum, sed proprietatem datam censemus; (a) vt & si hac conditione legatus sit prædij vsusfructus, vt legatarius post suam mortem alteri non heredi illud restituat. (b)

(a) Nam alienandi potestas soli proprietario conuenit, non vsufructuario. Vide huius conclusionis, quæ communis est, autores apud Menoch. d. præsumt. 133. n. 4. (b) Per l. vlt. ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum. & l. species. 15. ff. de auro & arg. leg. Menoch. d. præsumt. 133. n. 7. & Fachin. dict. lib. 5. c. 46. Sed obstat videtur l. qui fructus. 25. ff. de vsu & vsusfr. leg.

s 3

Inter

XVII.

Inter viuos contingit adquisitoria vſusfructus constitutio, vel
quasi traditione, vel diuturno vſu, & longa quasi possessione, vel iudi-
cio diuisorio, vel ipsa lege.

XVIII.

Quasi traditione adquiritur vſusfructus duobus modis: Tra-
ditione corporalis rei fructuariæ, & patientia constituentis.

*l.3. in pr. ff. de vſuſr. & l. si ego. ii. §. 1. ff. de public. in rem act. & l. i. in fi. ff. de ser-
uit. præd. rust. Rei incorporalis vera & propria traditio non est. l. seruus. 43. §. 1. ff. de
adquir. rer. dom. vt quæ possideri non potest. l. 3. in pr. ff. de adquir. vel am. poss. Sed
eius est tantum quasi traditio, l. ait. prætor. 23. §. item ei. ibi, vſusfructus quasi possesi-
onem. ff. ex quib. caus. maior.*

XIX.

Ttraditione corporalis rei fructuariæ, si dominus vſuſfructua-
rium inducat in fundum fvuſtuarium, animo & voluntate constitu-
endi & dandi ei vſumfructū: (a) vel si rem fructuariā mobilem tradat.

*d. l. 3. in pr. ff. de vſuſr. l. si ego. ii. §. 1. ff. de public. in rem act. d. l. i. in fi. ff. de seru.
rust.*

XX.

Patientia constituentis adquiritur vſusfructus, si dominus patia-
tur, vt sua re vtatur, fruatur ille, cui ad præstandum vſumfructum ex
conuentione, vel vltima alicuius voluntate obligatus est.

*d. l. 3. in pr. ibi, eumūe patiatur vtifrui. ff. de vſuſr. & facit d. l. si ego. ii. §. 1.
ibi, vel per patientiam. & c. ff. de Public. in rem act. & d. l. i. in fi. ibi, & patientia ser-
uitutum. ff. de seruit. rust. præd.*

XXI.

Antequam tamen vſuſfructuarius confecto Inuentario vtiliter
domino cauerit, id est, satis dederit, vel pignus dederit, vſurum, fruitu-
rum se boni viri arbitratu, & cum vſusfructus ad se pertinere desierit,
restituturum, quod inde extabit, dominus ei vſumfructum quasi tra-
dere non tenetur; (a) etiam si testator hanc cautionem testamento
suo remiserit vſuſfructuario. (b)

*a) l. si cuius. 13. ff. de vſuſr. l. 4. C. eod. l. i. & t. t. ff. vſuſr. quem cau. Mynſ. cent. 6.
abſer. 48. Roland. à V alle conf. 92. num. 15. & seqq. vol. 1. & V uſenb. conf. 19. n. 7. p. 1.
Hanc cautionem etiam pignorib recte fieri scribunt Dd. per text. in §. constituitur
vers. sed vtilitatis. ibi, vtiliter caueatur. Inst. de vſuſr. iunct. l. 4. §. addici. vers. quid est
idonee. ff. de fideicom. lib. Facit eod. l. i. §. iubet aut. Prætor. ff. de collat. & post alios
ſentit.*

DISPUTATIO VIII.

§

sentit. Vuesenb. in parat. ff. vſufruct. quem. cau. (b) l. pen. C. vt in poss. legat. Ferd. Vafq. de success. & vlt. volunt. lib. 1. de potentia testatoris. §. 7. n. 22. 23. & 24. Andr. Gail. 2. obser. 145. vide Duar. ad l. nemo. 55. de legat. 1. & Cuiac. in parat. C. tit. vt in poss. legat.

XXII.

Quod si idoneam hanc cautionem ob paupertatem praestare fructuarius non possit, de rigore quidem iuris vſufructu priuandus videtur, verum Camera Imperialis aequissimam & tutissimam censuit eorum sententiam, qui volunt, quod proprietarius hoc casu predium ad se recipere, & vice vſusfructus certam annuatim summam fructuum vel pecuniae soluere fructuario possit.

Mynsing. cent. 6. obseru. 48. quam decisionem probat etiam Fachinæus lib. 8. controuersiur. c. 40. vid. Andr. Gail. 2. obseru. 47.

XXIII.

Sed quid, si vſufructuarius in possessionem prædij fructuarij venerit ante præstitam cautionem, nunquid perceptos fructus suos facit? Neutquam, si mala fide, puta inuitio vel inscio proprietatis domino possessionem acceperit.

per l. vxori. 24. vbi Br. ff. de vſufr. leg. Andr. Geil post alios lib. 2. pract. obseru. cap. 46. num. 6. & seq.

XXIII.

Diuturno vſu, & longa quasi possessione adquiritur vſusfructus bifarium. Primò si non dominus alicui ignorantis in re aliena vſumfructum constitut, & quasi tradat, atq; huiusmodi bonæ fidei possessio longo tempore, puta annis decem inter præsentes, vel inter absentes viginti annis, etiam domino ignorante eius revertatur, fruatur. (a) Deinde si quis per idem tempus, etiam absq; causa siue titulo, re aliena domino non prohibente, iure seruitutis vtatur fruatur. (b)

a) l. vlt. § fin. C. de long. temp. præscript. & l. 2. C. deseruit. & aqu. (b) l. si quis diuturno. 10. ff. si seruit. vind. l. apparet. 5. §. si quis seruitutem. ff. de itinere actuq; priuato. & l. 1. & l. 2. ibi, eo sciente. C. deseruit. & aq.

XXV.

Iudicio diuisorio adquiritur vſusfructus, si in iudicio familiæ eriscundæ, vel communi diuidendo, iudex alij vſumfructum, alij proprietatem adiudicauerit.

l. vſusfructus. 6. §. 1. ff. de vſufruct.

XXVI.

Ipsa lege adquiritur vſusfructus, quem lex ipsa præter hominis factum

ctum alicui constituit, atq; tribuit: qualis est vsusfructus, qui conceditur patri in bonis liberorum aduentitijs.

§. 1. Inst. per quas pers. cuig_z adquir. l. cum oportet. 6. in pr. vers. si quis itaq;
C. de bon. quæ lib.

XXVII.

Cuiusmodi vsusfructus immunis est, & à satisfactione fructuaria,
& à reddendis finito vsu rationibus; potestate rerum administrandarum libera patri concessa.

d. l. cum oportet. 6. §. non autem. & l. vlt. §. sin. autem legata. C. d. t.

XXVIII.

Huius quoq; generis vsusfructus est, quem lex patri pro præmio
emancipationis concedit in dimidia parte bonorum aduentitiorum filij emancipati.

§. hoc quoq; à nobis. Inst. per quas person. cuig_z adquir. & d.l. cum oportet. 6. §.
cum autem. C. de bon. quæ lib.

XXIX.

Est item huius generis vsusfructus, quem lex tribuit mulieri, quæ
iterum nubit, superstitibus liberis ex priori matrimonio, in bonis, quæ
à marito liberalitatis causa accepit, puta sponsalib₉, donatione propter
nuptias, donatione mortis causâ, legatis aut fideicommissis: quæcunq;
item ex successione liberorū prioris matrimonij ad eam peruerunt.

l. i. & Auth. sequentib. C. de secund. nupt.

XXX.

Huic quoq; generi vsusfructus non ineptè connumeramus &
eum vsumfructum, qui iure ad crescendi ad aliquem peruenit; quod in
ter eos locum habet, quibus vltima voluntate coniunctim vsusfructus
relictus est.

l. i. & t. t. ff. de vsufr. ad cresc. vide Henr. à Suerin. lib. quæst. de vsufr. ad cresc.

XXXI.

Videamus modò, quod ius vsufructuarius in constituto vsu-
fructu habeat: Illud autem vel ad commoda, vel ad onera pertinet.

XXXII.

Commodum vsusfructus his ferè continetur rebus, quòd vsus-
fructus in quibusdam casibus dominij pars est; (a) quod vsufructua-
rius ipsum ius vtendi fruendi sibi possidet, & quidem ciuiliter; (b)
quòd naturaliter etiam rem fructuariam possidet, (c) licet non verè;
(d) quòd fructus omnes, qui ex re fructuaria percipiuntur, ad fructua-
rium pertinent, (e) modò eos perceperit. (f)

a) l. 4.

D I S P U T A T I O V I I I .

293.

a) l. 4. ff. de vsufr. hoc est, instar partis obtinet. l. cum filius. 76. §. dominus. ff. de leg. 2 l. qui vsufr. 58. ff. de V. O. siue effectum partis. l. si Titio. 33. §. 1. ff. de vsufruct. Cuiac. in lib. 2. Pauli ad Edictum. pag. 23. & in lib. 17. quæst. Papin. pag. 42. & in lib. 7. responsor. Papin. pag. 281. & seq. Vide quoq; Hotom. lib. 3. obseru. cap. 22. Menoch. lib. 4. præsumt. partis 2. præsumt. 133. num. 4. & Ioh. Goedd. ad l. rectè dicimus 25. ff. de V. S. (b) Ut ostendimus disp. 2. thesi 20. sub hac classe 4. (c) l. natura- liter. 12. in pr. & l. possessio. 49. in princ. ff. de adquir. vel am. poss. (d) Vide in d. disp. 2. thes. 19. (e) l. vsufructu. 7. in pr. l. item si fundi. 9. in pr. l. arbores. 59. §. 1. & 2. ff. de vsufruct. (f) §. is verò ad quem. Inst. de rer. diuis. l. qui scit. 25. §. 1. ff. de vsur. l. arboribus. §. Iulianus. ff. de vsufruct. & l. si fructuarius. 13. ff. Quib. mod. vsu- fruct. amitt. Cuiac. lib. 4. feudor. tit. 50. Hart. Pift. lib. 1. quæst. iur. q. 24. num. 17. & seqq.

X X X I I I .

Hinc aucupiorum & venationum, item piscationum redditus ad fructuarium pertinet.

d. l. item 9. §. aucupiorum. & l. vsufructuarius. 26. ff. de vsufruct. l. Vena- tionem. 26. ff. de vsur. X X X I I I I .

Alluvionis quoq; vsufructum ad fructuarium pertinet: Insulæ verò non item.

d. l. item. 9. §. huic vicinus. ff. vsufr.

X X X V .

Est & illud hîc notandum, re quadam in vsumfructum data, censeri quoq; concessum, sine quo fructus percipi non potest, veluti aditus ad fundum fructuarium, (a) item instrumentum fundi, (b) tum etiam seruitutes prædio fructuario debitæ. (c)

a) l. 1. §. 1. ff. si vsusfr. pet. fac. l. 2. ff. de iurisd. (b) d. l. item. 9. §. instrumen- ti. & l. sed si us. §. proprietatis. ff. de vsufr. (c) d. l. 1. l. si is qui binas. 30. ff. d. t.

X X X V I .

Thesaurus verò infundo fructuario repertus, non ut proprietatis domino, sic & vsufructuario cedit.

Per text. in l. fructus. 7. §. si fundum viro. ff. solut. matrim.

X X X V I I .

Non solum autem ipsemet vsufructuarius ex re fructaria percipi- pere fructus, sed & eum alij fruendum cōcedere, vel locare, vel ius illud vendere, vel precariò dare, vel donare, (a) vel oppignorare (b) potest.

a) l. arboribus. 12. §. vsufructuarius. l. non vtitur. 38. ff. de vsufr. §. minus au- tem iuris. Inst. de vsufr. & habit. l. necessariò. 8. §. vlt. ff. de pericul. & comm. rei vend. (b) l. si is qui. 11. §. 2. ff. de pignorib. ipsam verò proprietatem prædi fructuarius pig- niori dare non potest. l. interest. 6. C. de vsufr. Hotom. consil. 30. num. 6.

t

Serui-



X X X V I I I.

Seruitutem vero imponere fundo fructuario non potest fructuarious, (a) vt nec ei seruitutem adquirere. (b)
 a) l. si cui. 13. §. fructuarious. ff. de vſuſr. (b) l. sed ſi. 15. in fi. ff. d. t. & l. 2.
 §. 2. ff. ſi ſeru. vindic.

X X X I X.

Sed an proprietatis dominus seruitutem prædio fructuario imponere possit, qua deterior fiat fructuarij conditio, quæſtio eſt anceps? Et quod nec consentiente fructuario id queat, concludimus.

d. l. ſed ſi. 15. §. vlt. & l. ſeq. ff. de vſuſr. vide omnino Pet. Fabr. lib. 2. ſemestr. c. 21. pag. 289. & ſeq.

X L.

Onus fructuarij hoc eſt, quod tenetur id omne facere, quod diligens paterfam. in re propria faceret, (a) proindeq; omnem rei curam ſuscipere, (b) & custodiam præſtare. (c) Vnde damnum à domesticis rei fructuariae illatum resarcire iubetur; (d) vt & amissionem seruitutum prædio debitарum præſtare; (e) tum etiam hoc tenetur nomine, quod vſuſionem rei non interpellauit. (f)

a) l. ſed cum fructuarious. 65. in pr. ff. de vſuſr. (b) l. i. in fine. ff. vſuſr. quem. cau. (c) l. 2. ff. d. t. (d) d. l. ſed cum. 65. in pr. ff. de vſuſr. (e) l. ſed ſi quid. 15. in fi. ff. d. t. (f) d. l. i. in fin. ff. vſuſr. quem. cau.

X L I.

Reficere quoq; ædes fructuarium oportet, (a) niſi vetuſtate factæ ſint deteriores, (b) niſi item paratus ſit derelinquere vſumfructum. (c)

a) l. eum ad quem. 7. C. de vſuſr. l. vſuſr. 7. §. 2. & 3. l. cum fructuarious. 64. & l. ſeq. in pr. ff. d. t. (b) l. ſed cum fructuarious. 65. §. 1. ff. h. t. (c) d. l. cum fructuarious. 64. ff. eod.

X L I I.

Arbores item tenetur in locum demortuarum ſubſtituere, (a) niſi vi tempeſtat̄ ſint euersæ, (b) & gregem vel armentum ex agnatis capitibus ſupplere, ſi vſuſr. gregis vel armenti ſit relictus. (c)

a) l. agri. 18. ff. h. tit. (b) l. arbores. 59. in pr. ff. d. t. (c) l. vetus. 86. §. vlt. & 2. ll. ſeqq. ff. eod.

X L I I I.

Incumbit vſuſr. & hoc onus, vt collectas & tributa præſtet, ſiue illa ſint ordinaria, ſiue extra ordinem interponantur.

l. vſuſr. 7. §. hac tenus. ff. de vſuſr. l. quero. 28. de vſuſr. & vſuſr. leg. l. neg. stipendium

DISERVATI O VIII.

5

stipendium. 13. ff. de impens. in res dot. fact. Cuiac. lib. 7. obseru. 4. Hartm. Pift. lib. 1.
quæst. 46. num. 33. & seq. X L I I I .

294.

Non incommodè hoc loco & illa celebris moueri quæstio potest, an vsufructuarius, si ei omnium bonorum vsusfructus testamento sit relictus, æs alienum defuncti testatoris soluere teneatur? Nos onus hochæredi, non vsufructuario incumbere asserimus: (a) qui hæres tamen æs illud alienum ex defuncti bonis deducere potest. (b)

a) l. 1. C. si cert. pet. l. 2. C. de hered. vel act. vend. Andr. Gail post alios quos citat lib. 2. obseru. pr. 146. Menoch. lib. 4. præsumt. præf. 143. Fachin. lib. 4. controu. iur. cap. 19. Hartm. Pift. lib. 1. quæst. iur. quæst. 46. num. 3. (b) l. vlt. ff. de vsufr. leg. l. vsufructu. ff. ad Leg. Falc.

X L V .

Quid verò si relicto omnium bonorum vsufructu, æs alienum superetea bona, quorum tamen quædam adeo fructuosa sunt, ut multum lucri annuatim percipi inde possit, proindeq; heredes partim dilationem à creditoribus impetrantes, partim versuram facientes, breui temporis spacio æs illud alienum omne soluant, nunquid legatarius vsuumfructum ab heredibus petere potest? Affirmanti sententiæ adhærendum putamus.

Perrationes pro hac conclusione adductas ab Hartm. Pift. lib. 1. quæst. iur. quæst. 46. num. 17. & seqq. X L V I .

Sequitur de amissione vsufructus. Vsusfructus amittitur & finitur morte vsufructuarij naturali & ciuili, mutatione rei fructuariæ, cessione, consolidatione, non vtendo per modum, non vtendo per tempus, & euentu temporis vsufructui præfiniti.

Iul. Paul. 3. recept. sent. tit. 6. §. vsufructus. & §. finitur. differentiam facit inter amittere & finiri: atq; ostendit quinq; modis amitti, & duobus finiri vsufr.

X L V I I .

Naturali morte finitur vsufructus, si devita vsufructuarius decebat.

l. 3. §. vlt. ff. quib. mod. vsufr. amitt. l. corruptionem. 16. C. de vsufr.

X L V I I I .

Ciuali morte finitur vsufructus, si vsufructuarius maximam vel medium capit is deminutionem patiatur.

§. finitur autem. Inst. de vsufr. & l. pen. C. eod. tit.

L X I X .

Mutatione rei fructuariæ extinguitur vsufructus, si ædes fructuariæ incendio consumtae fuerint, vel terræ motu, aut vitio suo corruerint: (a) Item si areæ vsufructus legatus sit, & in ipsa area ædifi-

C L A S S I S III.

cium sit positum: (b) si balnei vſusfructus testamento constitutus sit, & ex balneo testator habitationem fecerit; (c) si tabernæ sint legatæ, & diætam inde testator fecerit: si serui histrionis vſumfr. testator reliquerit, & postea ipsum seruum ad aliud ministerium transtulerit; (d) & deniq; si ager vel hortus fructuarius mari aut flumine inundatus sit. (e)

a) §.eo amplius.inſt.de vſusfr. l.repeti. 5.§.2. ff. quib. mod. vſusfr. am. (b) l. repeti. 5.§. vlt. ff. d.t. (c) l. si cui. 12. in pr. ff. eod. (d) d.l. si cui. §.1. ff. b.t. (e) l. si ager 23. & l. seq. ff. d.t. L.

Cessione extinguitur vſusfructus, si vſufructuarius proprietatis domino vel extraneo, id est, qui proprietatem non habet, vſufructu ita cedat, vt eo se planè abdicet.

l. si vſusfruct. 66. ff. de iure dot. Extraneo quidem si cedat vſufructuarius, nihil quidem agit, id est, non transfert. vſumfr. in ipsum. §. uem finitur. Inst. de vſusfruct. vſumfructum tamen amittit, atq; is ad proprietatis dominum redit, d. l. si vſusfructus. 66. ff. de iure dot. Cuiac. in notis ad Vlp. tit. 19. de dominijs & adquisit. rer. & ad Iul. Paul.lib.3. sent. tit. 6. §. in iure cessione.

L I.

Consolidatione perit vſusfructus, si vſufructuarius proprietatem rei sibi comparauerit.

§. item finitur. vers. vel ex contrario. inst. de vſusfruct. l. 3. §. vlt. ff. de vſusfr. adref. Iul. Paul.lib.3. sent. tit. 6. §. vſusfructus amissus. ibi, dominij comparatione.

L II.

Non vtendo per modum amittitur vſusfructus, si contra præscriptum in cōstitutione vſusfructus modum, vſufructuarius vtatur, fruatur re fructuaria; (a) veluti si ea abutatur, puta deteriorando ipsam, (b) vel si ita legatus sit vſusfructus ædium, donec vſufructuarius altius eas non tollat, aut donec extra familiam non alienet eum vſumfructum; ipse autem vſufructuarius altius tollat, aut alienet. (c)

a) §. finitur aut. ibi, & non vtendo per modum. Vbi Cuiac. in not. inst. de vſusfr. facit l. si communem. 10. §. 1. & l. si quis alia. 18. ff. quem. seru. amit. (b) Per Nouell. 120. cap. 8. & Auth. qui rem. Vbi Dd. C. de Sacrosanct. Eccles. Iason ad l. fructus eos. §. si fundum. ff. sol. mat. Molin. in consuet. Paris. §. 30. num. 166. Dissentunt nonnulli per l. 1. §. 5. & 6. ff. vſusfr. quemad. cau. (c) l. Proculus. 19. in princ. ff. de vſusfr. & Connan. lib. 4. comment. c. 3. in fin. & Menoch. lib. 4. præsumpt. p. 2. præsumpt. 133. num. 2.

L III.

Non vtendo per tempus extinguitur vſusfructus, si vſufructuarius re fructuaria non vtatur decennio inter præsentes, vicennio inter absentes.

d. §. fini-

D I S P U T A T I O V I I I .

II

296

d. §. finitur autem ibi, non vtiendo per tempus, vbi Cuiac. in notis inst de vsufruct.
l. vsusfr. 28. ff. quibus mod. vsusfr. am. l. non vtitur. 38. ff. de vsusfr. l. corruptionem. 16. &
ibi gl. in verb. non vtiendo cadere, & in verb. excludere. C. de vsufruct. & l. vlt. C. de
seruit. & aqua.

L IIII.

Euentu temporis vsufructui præfiniti amittitur vsufructus, quo-
ties ad tempus constitutus est vsufructus, & tempus illud venit.

l. interdum. 15. ff. quib. mod. vsufruct. am. & docet Iul. Paul. lib. 3. sentent. tit. 6.

§. finitur vsufructus. Vbi Cuiac.

L V.

Reipublicæ relictus vsufructus in centum annos constitutus
intelligitur, quibus elapsis extinguitur.

l. an vsufructus. 56. ff. de vsufr. Vide Cuiac. ad tit. de diuers. temp. præf. c. 34.

L VI.

Semel autem extinctus vsufructus, amplius non competit.

l. qui tamen. §. 1. ff. quemad. vsusfr. am. Hartm. Pistor. lib. 1. quest. iur. q. 46. num.
26. & 32.

L VII.

Quia verò vsufructuarius non aliter fructuum dominus efficitur,
quàm si ipse eos perceperit, iccirco licet maturis fructibus, nondum ta-
men perceptis, extinguatur ius vtendi fruendi, ad proprietatis domi-
num illi pertinent, non ad fructuarium, vel eius heredes.

§. is verò ad quem. inst. de rer. diu. l. arborib. 12. §. si fur. ff. de vsufr. l. si fructuarius
messem. ff. quib. mod. vsusfr. amitt. Obstare videtur text. in l. 7. §. diuortio. ff. sol. matr.
Vide Hartm. Pistor. lib. 1. quest. iur. quest. 24. num. 24. & 25. & 28. & seqq.

L VIII.

S V C C E D I T Q V A S I V S V S F R V C T V S; qui est ius vtendi fru-
endi ex Senatusconsulto rebus illis quæ vsu consumuntur; (a) qua-
les res sunt pecunia numerata, (b) Vinum, oleum, frumentum, (c)
vestimentum, (d) lana. (e)

a) §. sed utilitatis. inst. de vsufr. & tot. tit. ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.
(b) §. constituitur. vers. namq; ipso. inst. de vsufr. facit l. si ego. 18. ff. de reb. cred. & l. 3. §.
vlt. ff. Commodati. (c) vinum, oleum, frumentum vsu consumi extra omne dubium
est. & scribit expreßè Iustin in §. constituitur. vers. nam hæ res. Inst. h. t. (d) d.
vers. nam hæ res. Sed vestimenti proprium esse vsumfructum contendit Donel. lib. 10.
comment. c. 4. pag. 484. tum per text. in l. sed et si. 1. §. er si vestimentum. ff. de vsufr.
& in l. si vsufructus. 9. §. pen. ff. vsufr. quem. cau. tum arg. l. arboribus. 12. §. nauis. ff. de
vsufruct. Vide Fachin. lib. 8. controvers. cap. 41. (e) l. pen. ff. d. vsufr. ear. rer. quæ vsu
consum.

L IX.

Hunc circa vsumfructum triplex inspectio incurrit: Vna, quo

t 3

modo

modo constituatur; altera, quomodo tradatur & accipiatur; tertia, quibus modis finiatur. LX.

Constituitur quasi vſusfructus sola vltima voluntate, veluti per legatum; inter viuos per conuentionem aliquam non constituitur.

§. sed vtilitatis. ibi, heredi vtiliter caueatur. Item ibi, vſusfr.legatus. & ibi, datur legatario.tum etiam ibi, legatarius satisdet. & deniq, ibi, traduntur legatario.l. vſusfr.69 ff.ad Leg.Fal.l.1. ibi, vſusfructus legari.l.2.ibi, vſusfruct. legatus erat.l.3.ibi, vſusfruct. legari poterit, & ibi, posse legari. item ibi, vſumfr.legari. & t.t. ff.de vſusfruct. ear.rer. quæ vſu consum. LXI.

Errare itaq; nobis videtur Donellus, quando scribit, (a) si in bonis filijfamilias aduentitijs pecunia fuerit numerata, vinum, oleum, frumentum, aut res similis, earum etiam rerum vſumfructum ex Senatusconsulto ad patrem pertinere.

a) lib.10.comment.cap.4.pag.487. & seq.

L X I I .

Traditur hic vſusfructus ita, vt rei fructuariæ dominium ad fructuarium transferatur.

§. sed vtilitatis causa. Inst. de vſusfr. & l. si vini.7 ff.de vſusfruct.ear.rer. quæ vſu consum. LXIII.

Accipiens autem hunc vſumfructum tradenti heredi cautionem fideiussoriam, vel (vt volunt) pignericiam præstare tenetur de restituenda, finito vſusfructu, vel eiusdem generis, & qualitatis re, veleius æstimatione; quod posterius est commodius.

d. §. sed vtilitatis. inst. de vſusfr.l.2.ibi, recte caueri oportet.l.4.l.6.ibi, vt tibi caueam. item ibi, heredi satisdabunt.l.tribus.8.l.si vini. & l.penult.ff.de vſusfr.ear.rer. quæ vſu consum. iuncta l.1.ff. qui satisd. cog.

L X I I I .

Cæterum hæc cautio vel ante vel post traditam rem fructuariam exigi potest: (a) quæ nisi præstetur post traditionem factam, incerti condicione peti potest. (b)

a) l.quoniam.10.in fi.ff.de vſusfr.ear.rer. quæ vſu conf. (b) l.hoc SCTm.5 ff.d.t.

L X V .

Quod si neq; ante traditionem, neq; post eam constante adhuc vſusfructu exacta hæc fuerit cautio, tunc finito vſusfructu, ipsa quantitas condici potest.

d.l.hoc SC.5.§.1.vers.sed si quidem ff.d.t.

L X V I .

Atq; huiusmodi cautio est ipsum remedium, quo rerum, quæ in absumptione

298.

DISPUTATIO VIII.

sumptione sunt, quasi vsusfructus haberi cœpit.

l.2.in fi. ff. d.t. & §. sed utilitatis. in fine .inst. de vsusfr. Fachin. libr. 8. controvers. cap. 41. in fi.

LXVII.

Quamvis igitur hanc cautionem testator exigi vetuerit, non aliter tamen huiusmodi rei vsusfructus accipi potest, quam oblata & præstata hac Senatusconsulti cautione.

l.1.C. de vsusfr. l. si pecunia. ff. vt in poss. bon. esse lic. facit etiam l. nemo potest. 55. ff. de leg. l. Fach. lib. 8. controvers. iur. cap. 42.

LXVIII.

Eam tamen de substantia huius esse vsusfructus planè negamus.

Per l.hoc SCIm. 5. §. 1. ff. de vsusfr. ear. rer. quæ vsu consum. Pinel. post alios ad l.1.C. de. bon mat. p. 2. num. 78. Ferdinand. V asq. lib. 1. de potentia testatoris. §. 7. num. 25. & Fachin. lib. 8. cap. 43. Dissentit. Rolandus à valle conf. 92. num. 8. Vol. 1. & con. 42. n. 11. & 36. Vol. 2.

LXIX.

Finitur autem quasi vsusfructus duobus modis; morte naturali & capitis deminutione.

d. §. sed utilitatis. vers. cæteræ. ibi. vt si moriatur aut capite minuatur. inst. de vsusfr. & d. l. si vini. 7. ibi. vt quandocumq; is mortuus, aut capite minutus sit. l. in stipulatione. 9. & l. seq. in pr. ff. de vsusfr. ear. rer.

LXX.

Vsusfructui proximus est fructus, qui est ius fruendi rebus alienis, salua earum substantia, sine vsu alicui concessum.

l. huic stipulationi. 5. §. ergo. ff. vsusfr. quem. cau. & l. per insiur. 13. §. si quis vsusfruct. ff. de accept. Cuiac. lib. 13. obf. 12. & ad African. tract. 9. in expl. l. 26. ff. de exc. rei iudic. Vide Conan. lib. 4. comment. cap. 5. num. 2. Sed obstat l. per seruum. 14. §. 1. & 2. ff. de vsu & habit.

LXXI.

Hunc ijsdem modis constitui & amitti, quibus vsusfructus ambigendum non est.

Arg. tit. inst. de vsu & habit. in prin. & l. 1. ff. d. t.

LXXII.

SEQVITVR DE VSV. Vsus est ius vtendre rebus alienis, salua ea runderem substantia.

Aliud est vti, aliud frui; aliud vsus, aliud vsusfruct. l. 2. l. si habitatio. 10. §. si vsus. l. per seruum. 14. §. 1. & seqq. ff. de vsu & habit. Vti est tantum commoditatis ex re aliqua capere, quantū vtenti duntaxat ad quotidianum eius vsū sufficit. §. minus autē iuris. inst. de vsu & habit. Quæ tamen commoditas interdū tanta est, vt nihil fructū nomine proprietario relinquatur. l. fundi. 15. ff. d. t. Frui verò est tantū capere commodi, quantumcunq;

tumcung, ex re aliqua percipi potest, ita ut etiam alij inde consumendum concedi possit. d. §. minus. vers. cum is inst. eod. tit. l. vsufr. 7. §. i. l. item fundus. 9. in pr. ff. h. t.

L X X I I I .

Qui igitur nudū alicuius rei vsum habet, neq; ipsum ius vtendi, neq;
vtendi facultatem alij vendere, aut locare, aut gratis concedere potest.

d. §. minus autem vers. nec vlli alij. inst. h. t. l. sed neg. 8. l. ing. eo. ii. & l. plenum.
12. §. vlt. vers. operas. ff. eod. tit. L X X I I I .

Cum autem dubium est, & incertum, quid, quantumq; rei cuiusdam vsu contineatur, tum iudex ex officio definiet, quemadmodum quis vti debeat.

l. pen. inf. ff. de vsu & habit. L X X V .

Sed quæsitum olim fuit, posse vnuarius in domum vnuariam recipere hospitem, inquilinum, coniugem, parentes, familiam? Affirmata autem sententia obtinuit, & recepta est, modò ipse met vnuarius in domo vnuaria habitet, & alios ad se recipiat.

§. item is. inst. de vsu & habit. l. 2. l. 4. in princ. & §. i. l. 5. l. 6. l. 7. l. sed neg. 8. & l. plenum. 12. ff. d. t. L X X VI .

Meretricem tamē in ædes vnuarias recipere vnuario non licet. (a) tum quia contra bonos mores quod est, & existimationem, pietatem, & verecundiam laedit nostram, facere nos posse credendum non est; (b) tum quia nullū maius est incommodū, quām iactura dignitatis & existimationis, (c) cum tamen vnuis commodo & vtili esse debeat vnuario. (d)

a) d. l. non aliter. 7. ff. de vsu & hab. (b) l. filius. 15. ff. de condit. & demonstr. & l. nepos. 12. 5. inf. ff. d. V. S. (c) l. auus. 79. §. i. ff. de iure dot. d. l. nepos. inf. ff. de V. S. l. isti. 8. §. quod si dederit. ff. quod metus causa. & l. iusta. 9. ff. de manum. vind. (d) §. minus a. iuris. inst. de vsu & habit. L X X V I I .

Quæsitum fuit & illud, si tam spaciose domus vnuis sit constitutus mediocri homini, & angusto, ut is totius domus vsum occupare non possit, sed portiuncula quadam contentus esse queat, an proprietarius inuito vnuario vti possit ijs partibus, quæ vacant? placuit autem ne id possit proprietarius, cum alijs, atq; alijs temporibus tota domo vnuarius vti queat.

l. pen. §. ff. de vsu & habit. L X X V I I I .

Ad fundi vsum quod attinet, pars eius fructibus ferendis destinata est, pars vero destinata est alij alicui vnuui. (a) Quæ pars tributa est ferendis fructibus, ab ea vnuarius dominum, quo minus ibi eius fundi co-lendi causâ versetur, prohibere non potest; ut ne eos, per quos opera rustica fiunt.

§. minus

DISPUTATIO VIII.

15

297.

§. minus autem, vers. ing. eo. inst. de vsu & habit. l. ing. eo. n. & l. fundi. 15. §. i. ff.

d.t.**LXXIX.**

Ex fructibus quoq; vsuarius nihil ulterius habere intelligitur, quām vt oleribus, pomis, floribus, fēno, stramentis, & lignis ad quotidianum usum vtatur. (a) Potest quoq; vti oleis, oleo, frumento, frugibus, & generaliter illis omnibus quae in fundo nascuntur, ex quibus hominis victus maximē constat: Verūm quantum sibi suisq; ad victum sufficit, licet ad singulorum capitum victum multum sit ablaturus. (b) Quid autem sufficiat cuiq; ex dignitate & conditione eiusq; aestimandum est: (c) qua in re spectam etiam conuiuas & hospites, cum his enim vsuarius vti potest. (d)

a) d. §. minus a. inst. h.t. (b) l. plenum. 12. §. i. ff. eod. tit. (c) l. sed si quid. n.

§. sufficienter. ff. de vsufr. (d) d. l. plenū. 12. §. i. vers. Iubentius etiam. ff. de vsu & habit.

LXXX.

Et quamuis poma, olera, flores, & ligna in oppidum quoq; deferre, atq; ibi cum conuiuis & hospitibus vti prohiberi non debeat vsuarius, quippe cum graue onus eorum non sit, si abundant in fundo; oleo tamē frumento, & reliquis frugibus similibus in villa duntaxat cum conuiuis & hospitibus vti debebit. Pro se verò & familia si vti volet, poterit vti rebus illis omnibus quoq; loco, quippe cum tantum sumere possit, quantum sibi & familiæ ad victum sufficiat.

d. l. plenum. 12. §. i. ff. de vsu & habit. Donel. lib. 10. comment. cap. 25. pag. 552.

LXXXI.

Vti autem fructibus debet vsuarius quales illi sunt, veluti frugibus, vt frugibus, lignis, vt lignis; nec potest eos in aliam specie transferre, atq; illa specie vti.

arg. l. arboribus. 12. in princ. ff. de vsufruct. l. plenum. 12. §. i. vers. sed Sabinus & Cassius. ff. de vsu & habit. Donel. d. lib. 10. cap. 25. pag. 553. lin. 33.

LXXXII.

At pars fundi destinata alij vsui, quām ferendis fructibus, veluti villa, prætorium, cellæ vinariæ, aut oleariæ, & loca ad deambulandum, & gestationem parata ad vsuarij pertinent usus, in tantum vt is dominum quoq; & illius urbanam familiam eò venere prohibere possit, non etiam colonum, nec familiam rusticam, quae agri colendi causâ illic est.

d. l. habitatio. 10. §. vlt. ff. de vsu & habit.

LXXXIII.

Si pecoris usus alicui sit relictus, & queratur, quid in ea causa sit, distinguendum est inter operas iumenti, & pecoris fructus. In iumenti

▼

operis

operis vsuarius omnem habet vsum, pro conditione cuiusq; animantis. Boum enim & equorum vsu concessso, ad arandum & ad cætera, ad quæ boues & equi apti sunt, vti ipsis vsuarius potest. Muli item & asini vsu constituto ad onera ferenda, eius operis vsuarius rectè vtetur. Quòd si equitij vsus sit relictus, & fint in hoc aliqui non domiti equi, domare eos potest vsuarius ad percipiendas operas.

d.l.plenum.12. §. sed si boum. & §. seq. ff. de vsu & habit. §. item is ad quem ser- ui. vers. idem scil. inst. eod. tit.

LXXXIII.

Et potest vsuarius iumenti operis vti, non solùm ad suum mini-sterium, sed etiam liberorum & coniugis.

§. item is ad quem. vers. idem scilicet. inst. h.t. & facit d.l.plenum.12. §. vlt. ff. eod.

LXXXV.

Fructus verò pecoris, vt fœtus, lac, pilus, stercus, ad vsuarium non pertinent, (a) Cui enim vsus relictus est, vti potest, frui non potest; (b) Modico tamen lacte vti non prohibetur. (c)

a) §. sed & si pecorum. inst. eod. Obstare videtur, quòd vsuarius ex fundi fructi- bus sumere tantum potest, quantum sibi, & suis sufficiat, etiam si hoc modo fundi fru-ctus consumantur. Vide Donel.lib.10 comment. cap.25.pag.553. (b) l.2.in pr. ff. h.t. (c) d.l.plenum.12. §. sed si pecoris. ff. eod. tit.

LXXXVI.

Etsi verò vsuarius stercore & excrementis pecorum iam egestis vti nequeat, ipsis tamen pecoribus, in fundum inductis ad stercoran-dum eum rectè vtitur.

d.l.plenum. §. sed si pecoris. ff. de vsu & habit. §. planè ad stercorandum. inst. eod. tit. Donel. lib.10.comment. cap.25.pag.554.

LXXXVII.

Ex prædictis patet, quid vsusfructus ab vsu distet. Spectatur autem in vsu tum eius constitutio, tum amissio illius. Constituitur vsus ijsdem modis, quibus vsusfructus. (a) Pro parte tamen vsus constitui non po-test. Frui quidem pro parte possumus, vti pro parte non possumus, (b) cum vsus in nudo facto, vtendo scilicet consistat, quod factum post se nullum corpus, id est, fructus nullos relinquit; vsusfructus verò licet ab initio similiter in facto, scilicet fruendo consistat, (c) factum tamen il-lud post se fructus relinquit, & adiicit fructuario. (d)

a) Inst. de vsu & hab. in pr. l.1. §. 1. ff. eod. tit. (b) l. vsus pars. 19. ff. d. t. l. vsus- fruct. 5. ff. de vsusfruct. l.1. §. si vsusfructus. ff. ad L. Falc. (c) l.1. in princ. ff. quando dies vsusfruct. leg. ced. (d) Vide Alciat. lib.1. paradox. cap. 17. Cuiac. ad l. stipulationes

non

non diuiduntur. ff. de v. o. & Donel. ad l. 2. §. 1. verb. quædam non recipient. num. 13. ff. d. t. & Hotom. lib. quæst. illust. 20. quæst.

LXXXVIII.

Amittitur quoq; vsus modis ijsdem, quibus & vsusfructus. (a)
Vnde mortuo vñuario ad eius heredes vsus nontransit. (b)

a) Inst. de vñu & hab. in princ. (b) l. vsus aquæ. 21. ff. eod. t.

LXXXIX.

S V C C E D I T M O D O H A B I T A T I O ; quæ est ius (a) ha-
bitandi in ædibus alienis. (b)

a) §. sed si cui ibi, quasi propriū aliquod ius. inst. d. t. l. habitatio. 11. C. de vñu fr.
& hab. l. 1. §. 1. vers. vlt. ff. commod. l. si gratuitā. 17. ff. de præscr. verb. Hotom. a. 3. obs.
23. habitationem ius esse negat, sed male, vt ex locis iam adductis patet; Eam verò
locum definit; at perperam: Tum quia locus ius dici non potest: tum quia locus ille
cui hoc ius cohæret, est proprietarij, habitatio verò habitatoris: tum quia habitatio,
illa seruitus, morte habitatoris finitur, locus nō item: tum postremo, quia inter vete-
res iuris conditores contentio fuit vtrum habitatio vñufructui, vel nudo vñui similius
esset. l. cum antiquitas 13. C. de vñu fr. & hab. quæ sane dubitatio otiosa fuisset, &
indigna iuris autoribus, si ipsa habitatio propriè esset locus, siue domus ipsa. (b) Ius
habitandi quam vim habeat, ex sequentibus enunciatis constabit.

XC.

Ius autem habitandi in ædibus alienis consistit partim in eo,
quòd is, ad quem pertinet, illud alij etiam locare potest, (a) item com-
modare; (b) partim quoq; in hoc, quòd etiam interueniente capit is
deminutione perseuerat, neq; non vtendo amittitur. (c)

a) §. sed si cui habitatio. inst. de vñu & habit. l. cum antiquitus. 13. C. de vñu fr.
& habit. Obstare videtur l. si habitatio. 10. in pr. vers. sed eas personas. ff. de vñu &
habit. (b) l. 1. §. 1. in fi. ff. commod. At obstare videtur l. si gratuitam. 17. in pr. ff. de
præscr. verb. Vide Balduin. in Iustiniano. pag. 176. & seq. (c) l. pen. ff. de cap. mi-
nut. & l. si habitatio. 10. in fi. pr. ff. de vñu & habit.

XCI.

Quod attinet habitationis constituendæ & amittendæ modos,
illi certè ijdem sunt cum modis constituendi, & amittendi vsumfru-
ctum & vsum; (a) præterquam quòd capit is deminutione, & non
vñu haud amittitur habitatio. (b)

a) Habitatio enim idem ferè ius est cum vñufructu, & vñu. d. l. cum antiquitas
13. C. de vñufructu & habitatione. d. l. habitatio. 10. in pr. ff. de vñu & hab. (b) d. l.
si habitatio. 10. in fi. princ. ff. d. t.

18 CLASSIS IIII. DISPUTATIO VIII.

X C II.

Sequitur breuiter DE OPERIS SERVORVM. Hx & ab
vſufructu, & ab vſu differunt. Non enim amittuntur capitis demin-
utione, neq; non vtendo, neq; morte eius cui debentur operæ. (a)
Differunt etiam ab habitatione tum ratione subiecti, cum habitatio
fit ius ædium, operæ verò ius seruorum; tum etiam ratione amissio-
nis, siquidem operæ seruorum morte eius, cui debentur, non amit-
tantur. (b)

a) l.2. ff. de vſu & vſufructu legato. & l.2. ff. de operis seruorum (b) d.l.2.
ff. de vſu & vſufruct. legato.

X C III.

Ettantum de seruitutibus in personam nominatis. Innominata
seruitus in personam est, cuius nulla certa, & specifica appellatio iure
ciuili prodita est; (a) veluti ius decerpendi pomum de arbore aliena,
ius spatiandi, vel coenandi in prædio alieno; cuiusmodi iura sunt
seruitutes, non prædiorum sed personarum: (b) vt & ius eundi, vel
agendi, vel ducendi singulariter personæ constitutum: (c) tum etiam
ius quoddam aliud personæ concessum. (d)

a) l.3. de ff. præscr. verb. (b) l. vt pomum. 8. in pr. ff. de seruit. (c) l.1. ff.
vſu & vſufruct. leg. l. pater filia. 6. ff. de seruit. leg. (d) l.4. ff. de seruit. præd. rust.

X C IIII.

Huiusmodi seruitus alij concedi non potest, & morte eius
qui debetur, vt & illius capitis deminutione magna amittitur.

l.4. ff. de seruit. præd. rust. l.1. in fi. ff. de vſu & vſufr. legato.

FINIS DISPUTATIONIS OCTAVÆ.

Ka 3071
(3/4)

ULB Halle
003 261 573

3




sb

Bürobind. 3/1.



Farbkarte #13



B.I.G.

Black

disputatio VIII.

289.

F R V C T V, V S V, H A B I T A-
tione, aliaqz in personam seruitute.

Q V A M,

Divinâ fauente gratiâ,

P R A E S I D E

R I S S I M O,

V L T I S S I M O Q V E

N. H E N R I C O B O C E-

v s q v e I V R I S D O C T O R E E T

a Illustrissima Tubingensi Academia celeber-

omino suo Præceptore omni obseruantiae

cultu prosequendo,


N A R I I E X E R C I T I I C A V-

sa, hora locoqz consuetis,

Defendendam suscipiet

D O C V S . C O L B,

Spirensis.



T V B I N G A,

pis Georgij Gruppenbachij.

A N N O M. D. X C I X.

